



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SANCTUM NORBERTUM** SANTUS NORBERTUS,
EPISCOPUS, SANCTUS MAURICIUS, MARTYR,
ET SANCTA GERTRUDIS DE HELFTA, VIRGO, PATRONI CAELESTES
DIOECESIS MAGDEBURGENSIS CONFIRMANTUR Ad perpetuam rei memoriam.— Sanctum Norbertum, qui
Magdeburgensis dicionis veneratus episcopus extitit, sanctum Mauricium martyrem, qui eiusdem dicionis Patronus iam
colebatur, atque sanctam Gertrudem de Helfta, virginem, clerus et Christifideles dioecesis Magdeburgensis peculiari
necnon assiduo cultu prosequuntur. Qua de causa Venerabilis Frater Leopoldus Nowak, Episcopus Magdeburgensis,
communia cleri et populi fidelis vota excipiens, electionem sancti Norberti episcopi in Patronum principalem et sancti
Mauricii martyris una cum sancta Gertrude de Helfta virgine in Patronos secundarios apud Deum dioecesis
Magdeburgensis rite approbavit. Idem vero enixe petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos
vero piis eiusdem Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes, comprobatis us, quae Congregatio de
Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum
Litterarum vi perpetuumque in modum sanctum Norbertum episcopum in Patronum principalem et sanctum Mauricium
martyrem una cum sancta Gertrude de Helfta virgine in Patronos secundarios apud Deum dioecesis Magdeburgensis
confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis constituendis indicantur
[AAS, LXV (1973) 276-279]. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive
nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Iulii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri sexto decimo. ANGELUS card.
SODANO*

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana